

# COMPELLATIO

Præsidis

ad

Eximum Dn. Respondent.

**S**i qvid, Melzere præstantissime, divinare valeo, *dissertatio* hæc tua de *Hermunduror Metallurgia* argent., ob argumenti novitatem haut dubie multorum subibit censuras. Nam, qui artis metallicæ peritiores sunt, forte in eâ invenient, quæ eidem non satis congruere videntur. Alii quibus nulla, aut exigua *mētallurgiæ* cognitio, aut contemnent hocce argumentum, ut rem ignotam, aut cathedrâ indignum judicabunr. *Ilos* ut artis dictæ magistros audire atqve ab iisdem rectiora discere *Tibi* gloriosum duxeris; ita horum rationes vicissim negligere, consultum erit; cum solenne sit certo hominum generi, omne id fastidire, aut censere, quod ab ipso profectum non est. Qui verò æqvitatem amant, non poterunt non institutum hocce tuum favore suo proseqvi. Nam diligentia tua, quâ in colligendis rebus ad metallurgiam pertinentibus usus es singulari, eò majorem laudem apud æquos rerum judices habebit; quò pauciores ante Te hanc tractationem occuparunt. Præsertim cum nostræ communis patriæ amore inductus, multa, quæ laudem ejus adaugent, conscripseris. Igitur vel hoc solo nomine nostros *HERMUNDUROS*, viros antiquâ fide & probitate insignes, Tibi devincies, quod cum Metallurgia ipsorum simul virtutes ac operas, ut merentur, deprædicare non omiseris. Macte hac tuâ industria ac studiô erga *HERMUNDUROS*, ipsi quâ sunt æqvitate, aliquando hancce operam tuam pensare non prætermittent. Præcipue si divinæ sapientiæ ineubueris atqve Ecclesiæ ministerio porrò Te benè præparaveris, ut in Te alterum *Matthesium* habere possint. ita auguror & precor ex animo

Tuus

Sincero affectu

L. A. Rechenberg.

F I N I S.